A

XV
BARTH:

TH. BARTHOLINI

De

VISITATIONE OFFICINARUM PHARMACEUTICARUM

PROGRAMMA VI.

HAFNIÆ,
Typis MATTHIÆ GODICCHENII,
cIↄ Iↄc LXXVIII.

TH. BARTHOLINUS

L. S.

QVanqvam extra consvetum ordinem ad lustrandas Officinas Urbis nunc accingamur, non tamen extra oleas nos vagari, volumus existimari. Intervenerunt occupationes variæ tam publicæ qvam privatæ, qvibus impediti ad officinas solenni tempore Autumnali revisere non potuimus. Non afferam illas, ne tædio sint Lectoribus. Nec opus esse credo, cum ex Regio Edicto Pharmacopœi semper jubeantur medicamenta simplicia & Composita in parato habere, & extra præscriptum tempus

pus

pus Visitationibus Medicorum subjici. Ne publicum necessaria hac opera & à Majoribus imperata destituatur, opportunum nobis jam tempus panditur qvo dilatam officii partem expleamus. Dubitare nemo potest qvin declinante æstate officinæ nostræ in speciem instructæ satis fuerint, cum Floram & Pomonam nuperrime tum faventem adoraverint: An verò reapse eam in colligendis necessariis providentiam attulerint, qvæ incolarum usibus sufficiat, hoc demum tempore rectius dijudicamus, qvo difficillimas anni partes morbis non paucis nec levibus plerumqve obnoxias, medicamentorumqve variorum copiam absorbentes, eluctati sumus. Memini nonnullis ansam conqverendi prioribus annis enatam, im-

paratos se deprehendi circa consvetum festum Michaeli sacrum ut vota Visitatorum explerent, si qvidem exoticorum medicamentorum naves serius & circa anni exitum appellerent. Ne qvidqvam prætendi possit, commodi temporis favore molles qverelas eludemus, illorum pariter & tempori nostro velificaturi. Omnes officii sui admonet Qvadragesimale jejunium, qvod hisce diebus celebratur. Abstinuit CHRISTUS Salvator noster à cibis, ut promptius demandatum à Patre officium aggressurus, Satanæ tentationibus fortius resisteret. Nostrum qvoqve erit temperantiam nobis imperare, ne gravati onere cibi potusqve, segniores ad exseqvenda ea reddamur, qvæ publicæ exspectationi debentur. At verò siqvi-

dem

dem ſine modio mortalium plurimi conceſſis bonis utuntur, ventri nimium blandiendo, qvaſi viverent ut gulæ non Deo, non proximo, ſerviant, naſcitur larga ſeges morborum,

Semotiqve prius tarda neceſſitas
Lethi, corripuit gradum.

His pœna manet mitiſſima, ut in manus Pharmacopœorum incidant, abſinthiumqve pro nectare bibant, & pro cruſtulis blandis colocynthida. Non minus peccant illi, qvi nimiô jejunio corpus extenuant ut morbis facilius pateat, opera deinde officinarum indigum. Neqve enim tam firma eſt omnium compages, ut ſine dulci alimentorum ſucco ſana perſtet. Raris annumeranda Aſella Sancta Virgo apud Hieronymum in Epiſtolis, qvæ cum per annum

omnem jugi jejunio pasceretur, biduo triduoqve sic permanens, in qvadragesima navigii sui vela tendebat, omnes penè hebdomadas vultu lætante conjungens, & ita ad qvinqvagenariam pervenit ætatem, ut non doleret stomachum, nec viscerum cruciaretur injuriâ. Rectè verò idem Ecclesiæ Doctor monet, impossibile esse hominibus ad credendum, Deo autem præstante, possibile esse. Neutiqvam omnibus robur illud naturæ per naturam contingit, ut Christi jejunia miraculosa imitentur, qvi plura non exigit pro sua clementia, qvam præstare qveant mortales sua impotentiâ. Laudanda hoc nomine Gothorum veterum circumspecta moderatio, qvi in Codice suo à Lindenbrogio pridem edito, contemptores judicum

cum triginta dierum jejuniis continuis mulctantes, illam omninò districtionem servandam præcipiunt, ut si ætatis vel ægritudinis instantia patuerit, qvæ hanc disciplinam sustinere non posse demonstret, tam in clericis cujuscunqve ordinis, qvam in laicis, non tam durissimam sententiam castigationis instantia compleat judicis, sed adhibita consideratione in ægritudine vel ætate ita contemptorem corrigat, ne ipse contemptor, aut langvorem maximum aut debilitationem vel mortem incurrat. Qvid vel hi vel illi ad emendanda corporis vitia ex officinis nostris sperare possint, etiam exhausto forsan alibi penu Pharmaceutico, seqventibus diebus experiemur, qvos lustrationi Officinarum Pharmaceuticarum, authori-

tate

te Illustrissimi Academiæ Patroni Domini FRIDERICI Comitis ab AHLEFELD &c. Magni Ser. Regis Cancellarii, Hygiæ faventis, qvam faventissimam qvoqve meretur, dicavimus, Initium facturi, si Deo visum, crastino die horis pomeridianis in Officina HERFORDIANA, postridie apud FLEISCHERUM perrecturi, tertio die KIRCHOVIUM revisuri, & qvarto deniqve apud BECHERUM operi huic finem imposituri. Veniant cum pugillaribus qvibus volupe rerum medicarum pulchritudinem excipere, non splendidos tantum loculos. Nos alacres vultu & animo ad singula excitabimur. Rebus ex voto lustratis, non tacebimus auctores, etiam media hyeme, in officio calentes. Hafniæ XVII. Febr. clↄ Iↄc LXXVIII.

Sub Facult. Med. Sigillo.


Mei